NOVA ACTA
REGIÆ SOCIETATIS
SCIENTIARVM
VPSALIENSIS.

VOL. VI.



VPSALIÆ,

APUD JOH, F. EDMAN, REG. ACAD. TYPOGR. AN. MDCCXCIX.

BETULA JAPONICA.
DESCRIPTA
A
CAR. P. THUNBERG.

In Flora mea Japonica duplicem ſpeciem Betulæ, in Inſulis japonicis creſcentem indicavi, *albam* ſcilicet & *alnum*. Hanc, cujus unicum tantum ſpecimen accepi, accuratius inſpectam & ulterius examinatam, ſatis ſuperque ab *Alno* differre deprehendi atque ut ab omnibus huc usque notis Betulæ ſpeciebus diſtinctam proponere volui, cujus character & delineatio ſequens eſto:

BETULA *japonica:* foliis ovatis, acutis, ſerratis, pubeſcentibus.

Betula Alnus. Flor. Japon. p. 76.

Japonice vocatur *Jaſsia.*

Frutex erectus, glaber, ramoſus.

Rami alterni.

Folia petiolata, ovata, acuta, æqualiter ſerrata, tenuiſsime pubeſcentia, ſuprema magis villoſa, ſupra viridia, ſubtus albida, inæqualia, ungvicularia usque pollicaria.

Petioli breves, lineam longi.

Pedunculi ſimplices, ſemiungviculares.

Spica ſtrobilina glabra, ovata.

Uſus: Coni hujus ad nigrum tingendum adhibentur, eumque in finem vulgares in ſingulis tabernis ſiccati exhibentur venales.

Icon monſtrat ramum magnitudine naturali. Tab. IV.

Tab. IV

BETULA *japonica*